PRO NOVA BIBLIOTHECA ROMANAE SAPIENTIAE,

dedicata publicataquè

AB

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

ORATIO

IACOBI ALBANI GHIBBESII, M. D.
atquè in eadem Academia Eloq: Prof.






ROMAE,
Ex Typographia Philippi Mariæ Mancini.
cIↄ Iↄc LXV.



SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO
ROMANAE CVRIAE ORDINI.
COLLEGIO XII-VIRVM
CELEBERRIMO,
SACRI CONSISTORII
ADVOCATIS.



IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS
S. P. D.



YRVM narrat Xenophon, Persarum regem, cùm Lysander Lacedæmonius ad illum Sardeis venisset, quendam ei conseptum hortum diligenter consitum ostendisse: cùm autem suspiceret Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, eum indè dixisse, mirari se non modò diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent illa dimensa; & ei regem respondisse; Atqui ego ista sum dimensus: tùm hospitem voce sublata exclamasse, Rectè verò te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. Quantò ALEXANDER *Pont. Max. Cyro vel hac etiam in parte beatior: qui, dedicata modò in hac ciuitate, nationum ac terra-*

rum omnium luce & arce, SAPIENTIAE *Bibliotheca, non arborum ſurculos, aut ad certam figuram diſpoſitos ordines, ſed longius quiddam, quàm vitæ termini ferunt, ſpe atque animo diuinè complectens, doctorum virorum ſiluas, literarumque & doctrinæ vireta ſua manu ſata eſſe, meritò & optimo iure poſſit gloriari!*

Verùm cùm ipſe, quæ ſemper fuit Sanctiſſimi Principis in ſummo imperio ſumma vel moderatio, vel modeſtia, licèt omnia digna faciat immortalitate, minimè tamen ob benefacta popularem auram curet aut aucupetur; noſtrum eſt, qui tam præſtanti munere deuincti ſumus, Gloriam virtutis & magnorum meritorum comitem, quam ille fugiens & contemnens vitare nequit, ſolidi velut vmbram corporis, adiungere prædicando. Id adeò nudiustertiùs à me factum eſt grauiſſimis verbis in Aula Sapientiæ, *teſte illius auguſti ſplendoris ac liberalitatis, incredibili voluntate, in conſpectu conſeſſuq; veſtro,* PATRES AMPLISSIMI. *prætereà celebritate Vrbis tanta, quantam coiſſe aliàs in re ſimili vix recordatur vlla memoria. Quocircà quæ tali audita plauſu acceptaque fuit Oratio inter Academicas exercitationes noſtras, viſum eſt eandem propter rei ſubiectæ amplitudinem, perſonæque laudatæ dignitatem, è Lycèi vmbraculis in Solem & puluerem longè lateque proferre.*

Quod nunc ago equidem reuerenter ſub auſpicijs illis ipſis, ſub quibus res tum tota gerebatur, hoc eſt, veſtris: qui vt eſtis florentiſſimi Gymnaſij, *noſtrique ſtudij moderatores, ſic etiam tot bonorum ſcholis noſtris*

stris & artibus, quas profitemur, procuratores extitistis. Multas insuper rationes alias Dedicationis huius adducere possem iustas & debitas, nisi cui occurrerit Oratio, cuperem eas potiùs in fonte legi atque cerni. Perspicietur indè clarissimè, quomodò laudis multiplicis optimo Pontifici tributæ vos quoquè ex parte in societatem veneritis; quandoquidem hoc vno duntaxat bono facto versus Romanam Sapientiam diuulgato, nulla erit vita præsens officij tam oblita, nulla tam surda posteritas, nulla fama tam ingrata, quæ communi vos præconio non inuoluat. Summis *enim, vt ait ille*, rectoribus imperij pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi. *Nec sanè vos ipsi, meo iudicio, in vlla causa vnquam* Sacros Aduocatos *magis ostendistis. Valete,* ILLVSTRISSIMI VIRI, *illudque porrò agite, quod agitis!*

Romæ, ex Musæo nostro in Aedib. Exc. Princ. *Iustiniani*, 4. Idus Nouembr. 1665.



PLATO

Epistol. Libr. 7.

LIBRI. LIBERIS. CHARIORES. SVNT PARENTIBVS. QVANTO. MENTIS FILII. SVNT. PRAESTANTIORES QVAM. CORPORIS.



Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Palat. Apostolici.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur
F. Hyacinthus Libellus, Sacri Apostolici Palatij Magister.

Pro



Pro noua Bibliotheca

AB ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
In almo Ro: Sapientiæ Athenæo magnificentiſſimè extructa, & vſui publico perliberaliter conſecrata:

O R A T I O

AD SACRAE AVLAE CONSISTORIALIS
A D V O C A T O S,
eiuſdem Gymnaſij moderatores;

H A B I T A

In Aula Sapientiæ Non. Nouembr. Anno 1665.



NOLITE hodierno die, AVDITORES, & pro veſtra recurrentium ſtudiorum auiditate perpetua, & pro mea viciſſim anniuerſaria conſuetudine laudandi vobis authorem aliquem ex hoc loco, cuius libros procedente deinceps tempore interpretaturus eſſem, nolite, dico rursùs, expectare abs me hodiè, dum mos ille vetus per ſe ſanè laudabilis, at re alia obueniente meliori non conſtantiſſimè tenendus, inſtauretur. Licuerit aliquandò extra ordinem, pulchræ prolis gratia, matrem extollere; ſit fas, quemadmodùm parentes, Orphei Calliopèa, Lino formoſus Apollo, poëtarum verſibus decantantur; imò ſicut Amalthæa, fœmina an capra, ſi Dijs

 placet,

placet, quòd nutrix fuerit summi Iouis, officij præmium inter sidera locum habere dicitur; pari ratione nobis tot doctissimorum hominum monumenta, quasi animas, conseruantem & fouentem, toto pectore ac neruis omnibus, in cœlum efferre Bibliothecam. Sic equidem solita via non deerrare mihi multùm videbor, si pro libro vno sexcentos, vel mille, vel plures in medium digna prædicatione protulero. Quò etiam id longè gratius vobis acceptiusquè debet accidere, quòd minimè procul abeundum sit; arcessemus è proximo encomia nostra; parietes, atria, porticus, exedræ huius ipsius gymnasij contingunt magnos manes, eodemquè spiritu propemodùm animantur; vno verbo, Romana nunc Academia sinu suo præclaros literaturæ principes, veluti equus Troianus inuictos illos Græcorum duces, arctissimè comprehendit.

At enim, vbi egregij isti libri, occurret aliquis: vbi plutei, vbi loculamenta; cùm locus vixdum ipse appareat aptus & perfectus? Apagè, cum angustis eiuscemodi captiunculis, insulsissime Mome; quisquis es: priùs disce, author totius structuræ qui sit, indè dubita sodès de progressu cœptæ absolutioneque magnificentiæ. Diogenes vt non capit, ita neque intelligit animos Alexandri; rodere vult tamen eius illustria, & gloriosa non modò facta, sed etiam cogitata Cynicus. Annè putaret vnquàm homo pusillus, capto inter spolia Darij, Persarum Regis, vnguentorum scrinio, quod erat auro, gemmisque, ac margaritis pretiosum, quid eo facturus sapiens Imperator fuisset? Alterum Homeri volumen, Iliada nimirùm, (quam rei militaris viaticum ille orbis victor, totum se ad exemplar Achillis componens, appellabat) secum vbiquè circumferre, semper etiam vnà cum pugione sub puluino iacentem tenere erat solitus. Quorsùm tandem, aut cur ista componuntur à nobis? quid Homero cum arcula Darij commune intercedit? aut quid non potiùs toto cœlo disiunctum, maximequè diuersum? Scitè consociauit Alexander, glutinatore videlicèt summo vtriusque pretio. Cum enim delato ad ipsum myrothecio, quo nihil inter omnem

gazam

gazam Persicam æstimabilius, pulchriusuè repertum est, quæreretur, in quem vsum destinare id vellet, purpuratorumque aliud alij, vt fit, suggererent atque suaderent, respondisse plusquam regiè dicitur; Huic optimè seruandum dabimus Homerum. Qua quidem voce grauissima, mentis cuiusdam diuinioris indice, magnus heros quid senserit, perspicuè declarauit, nullum esse thesaurum ingenij excellentis opere pretiosiorem. Multa mihi se ex hac narratione offerũt, AVDITORES, vltròque veniunt in rem præsentem apta & accommodata; nomen Alexandri, pulcherrimum eius factum erga doctrinarum artes, libri, scrinia; nihil vt in eodem requiri genere similius posse videatur. Quod dum probo, resque partis vtriusque singulas confero inter sese atque committo, date, quæso, hanc veniam, vobis facilem, mihi peropportunam, reliquum sermonem ad eos, quorum interest præcipuè, Sacri Consistorij Aduocatos, præstanti virtute, ac sapientia viros, vniuersi & otij, & studij nostri custodes, & moderatores, qui suo me consessu frequentique corona cohonestant dicentem, grati animi causa conuertendi.

Vestrum est, PATRES AMPLISS. vestrum est opus, hæc, qua cingimur, magnifica moles; hic apex augustissimi templi, in quo Dei cultus & religio celebratur; hoc literariæ palæstræ illustre tabernaculum, vbi tot lecta ingenia nationum ac gentium omnium ad laudem exculta efflorescunt; hæc Hermathena denique, de cuius maximè laude propositum erat mihi loqui, Palladis, & Mercurij commune domicilium; bibliothecam intelligo tam affabrè elaboratam, vestraque assidua cura perfectam; intra quam viuere, ac se tanquam in sacrarium recondere voluit Rom. Sapientia. Cùm opus dico esse vestrum, vt nihil de immortali beneficio principis authoris ALEXANDRI, Pont. Max. detrahatur, cui tanquam Deo cuidam bonarum artium hoc, quantumcunque est, splendoris debemus & dignitatis, perindè velim accipi, atque ego id ipse sentiens profero; eam vos in re tanta habere partem, quantam maximam cupere ipsi aut arrogare potestis, consilij, pruden-

tiæ,

tiæ, virtutis, patrocinij, gratiæ, existimationis vberem fructum: similiterque fecisse viro singulari ingenio, summaque auctoritate prædito apud Alexandrum Macedonem Aristoteli, qui missis per orbem terræ, altisque multos annos vbiquè sumptu planè regio gnauis inuestigatoribus earum rerum, quę à natura inuolutæ videntur, quinquaginta pręclara volumina De historia Animalium ex liberalissimi domini, eiusdemque scientissimi voluntate perscripsit. Vtri tandem referre acceptum hoc tam luculentum cognitionis latissimæ monumentum posteros decet, Regi, an philosopho? Regi quidem certè, qui huic suppeditauit impensam. Non tamen & proximè, Aristoteli gratiæ, curatori & consiliario, meritæ debitæque sunt habendæ; cuius perdiligenti opera effectum est, vt tales diuitias atque ornamenta animi quammaximè explicata haberemus. Simile quiddam, multò autem & maius & excellentius vestro in facto cernitur (par enim iustè nequeo dicere, verbo nimis humili, cùm parium comparatio non admittat elationem) tantùmque illud, quod commemoraui modò, omni ex parte antecedit, quantùm Lunæ Sol, aut ignibus quantùm Luna prælucet cæteris.

Agè verò, rationes igitur singulas minutatim, & quasi per membra, discutiamus. Tum enimuerò præsens seculum quàm nulli præteritarum ætatum, eximiæ virtutis, ac splendoris fama, debeat inuidere, probo & fideli partium examine, liquidò constabit. Primùm Alexander Alexandro, ille quidem, sed quo, Deus bone, interuallo! terrenus Imperator cœli Vicario, Rex Pontifici, Magnus Maximo, erit opponendus: tum Aristoteles vnus solus sapiens permultis clarissimi ordinis, & collegij disertis viris, ipsius præsidibus Sapientiæ: deinde librorum volumen, ac veluti synthesis eiusdem generis, nempe de natura Animalium, tot diuersis rerum omnium codicibus: tum poëtarum Homerus princeps (accedant sanè illa etiam ad cumulum, quæ iam antè pręcesserunt) cunctarum artium, & scientiarum coryphæis: postremò Darij pyxis aurea, quamuis fulgentibus distincta gemmis, præ-

lon-

longis armarijs è solida quercu, pyro, vel cupressu fabrefactis, artificioseque incisis, & dolatis. Non hic magnoperè opus est Critolai libra, aut aurificis alicuius statera curiosioris: videtis profectò vim in hac populari trutina per vos ipsi veritatis; quantùm res scilicet præclarè gestæ nostri munificentissimi Principis in alteram lancem impositæ contra Macedonem, multò grauiori ex parte propendeant, atquè præsidij huius & magnitudinis animi lancem alteram sublimè tollant, vti floccum. Nolo exaggerare iam insignem Mineruæ Regiam, vbi tantæ opes continentur, laxitate vastam, fenestrarum multiplici lumine perflabilem, tectorio fornicatam opere, typis, signis, tabulis eleganter exornatam. Id etenim appendicis adijcitur loco merè gratuitum supra pondus; sed ita, vt quemadmodum ait Lucilius mantissam obsonia vincere, iure queam affirmare, isto gratioso corollario largitatem regis omnem esse superatam. Quid de parentis eiusdem indulgentissimi muneribus dicam alijs propè infinitis?

Memor sum promissi, *Patres Conscripti*, quod initio statui, quod etiam vsquè ad orationis exitum meæ seruabo inuiolatè, nihil me laudis in cumulũ eius beneficiorum extrinsecùs allaturum, (quando enim finis, aut verò modus vnquàm fuerit, si de omnibus in omnes velim verba facere?) nec ab huius Lycei ambitu, iure certè ipsius atquè possessione, transuersum (vt aiunt) vnguem esse ad alia deflexurum. Ex quo facilè intelligitur, tum cœleste donum Sancti Corporis in sepulchreto Priscillæ nuper inuenti, nomine, sicuti capsa plumbea præferebat vncialibus exesis adscriptum litteris, Alexandri sine dubio Martyris, huic sacræ ædi tributum; cùm eam ipse præsens quatuor abhinc annis, postridie Idus Nouembreis, die Solis, stipatus sacro Senatu, legatis, ac proceribus, toto coëunte ad insolitum spectaculum populo Romano, gloriosè dedicaret, hùc esse referendum; tum Hortum medicum, licèt sub Ianiculo remotiorem, eòdem aduocandum; quod foret argumentum, optimo pastori, idest, Regi secundum Platonem & Homerum, æquè vigilanti, & amanti, coniunctè

iunctè cum animæ salute nostri sanitatem corporis propositam fuisse. Ita salubritas loci commendat herbarum bonitatem, ita pariter luxuries ac varietas stirpium exterarum & nostratium loquitur cœli soliquè fœcunditatem. Ager quippè leniter decliuis edito monticulo iucundè intumescit; amplus prospectus ex Etruria in Vrbem; quodquè caput est, & sine quo summa timeri materiæ medicæ penuria posset, irrigat paruus Nilus, ex alto ad subiecta labra, quasi ad catadupa quędam, pręcipitans multis ostijs, iugi illùc scaturigine per idoneos tubos corriuatus. Tum ad extremum, nè plura consecter, sex suggesta de integro (cathedras vocant) quæ desiderabantur, instituta ab ipso, & dotata, quis ignorat hùc maximè pertinere? Sic, qui corpori, & animæ modò consuluerat, is animi mentem quoquè pastu suo atquè honesta voluit recreari voluptate. Quorum cuiusq; doctrinam qui maturè consideret, vtilem imprimis confluenti iuuentuti, reiquè publicæ necessariam Christianæ, vel domi ad formandos firmandosquè hominũm de Deo rectè sentientium animos, vel foris ad refellendos perfugarum, aut alioqui factiosorum errores, næ ille in isto bono vnico, cætera promerita vt abessent, conclusa putabit vniuersa.

Ite nunc, Leonisquè seculum prædicate pulchrum & beatum hac in parte, si placet, etiam aureum, quòd egregius Pontifex literatorum præses, summè ipse literatus, viros vndiquè omni doctrinæ laude præstantes ad hoc suũ liberalium artium recens seminarium, cuius erat author, (non enim vocare id queas emporium, vt hodiè, disciplinarum orbiculata serie confertissimum) peramplis præmijs euocatos conduxisset. Et quot tandem, per Deos immortales, recenset Paulus Iouius, eiusdem Leonis vitę scriptor nec indiligens, & locuples historicus? quinque scilicèt pro absoluto numero; quos etiam tanquam magnum quippiam, vt admiramur ferè principia, nominat honoris causa: nec nos eadem gratia tacitos hic prætẹribimus: Augustinum Suessanum Philosophiæ, Cristophorum Aretinum medicinæ; iurisprudentiæ Hieronymum Butigellam,

Par-

Parrhasium artis Rhetoricæ Cosentinum, & Basilium Calchondilam Græcæ linguæ, professores. Hui, quàm tempora mutantur! quàm paruo contenta erat superior ætas præ fastidiosa hac nostra! siue istud fastidium acriori iam discipulorum ingenio condonàndum sit, siue iudicio magistrorum limatiori, siue herclè amborum delicatiori palato. Quomodocunque se res habet, accreuit numerus è quinque istis, ascenditque paulatim, insequentium Pontificum singulari de studijs benemerendi voluntate, ad sex, & triginta præceptores: vt liquet ex catalogo huius Collegij annuo: quos equidem singulos, nisi quòd admixtus ipse sum, cæterùm dicere Roscios non vererer in ea, quam quisque profitetur, facultate. Si conferre volumus vtrumque seculum, illud per me licet, vt hactenùs dictum fuit, dicatur porrò aureum, dummodò hoc presens, quod suo quasi iure sibi vindicauit, gemmeum appelletur. Et verò quidni vocemus idem rectissimè gemmeum, aut si quod aliud nomen apud mortales illustrius inuenitur, conflatum ab ALEXANDRO, Sanctissimo Pont. purum putum ex clarissimis scientijs atquè virtutibus? Quid? Augustus Cesar hanc Vrbem, quam ille lateritiam susceperat, reliquisse marmoream iactare se potuit; ALEXANDER, Dei maximus & quæstor & antistes, mentes hominum è lucidis illis quidem, potestate diuina propè cælestes efficere non potest? Cùm præsertim Augustum suis ipsum in amoribus, præconio, & arte, iam dudum in cunis, vt ita dicam, auspicati principatus longè multumquè superarit, eam ipsam Romam inuentam à se marmoream tantis accessionibus liberalitatis, & magnificentiæ plusquàm auream fabricando.

Lusi ego tunc in communi gaudio, & gratulatione Quiritium quoddam epigramma longiusculum in commemorandi splendorem facti, vtinam quidem æquè pro dignitate: quale id autem cunque est, quoniam commodè incidit, recisis aliquot intermedijs versibus, vt tollatur tædiū cum vestra bona venia recitabo. Titulus erat huiusmodi:

De plateis Vrbis ab Alexandro P.M. adamussim æquatis.

Imbue-

Imbuerat rectis qui moribus antè Quirites,
Distortas Princeps noluit esse vias.

Hinc interijcitur narratio earum rerum, quæ priùs fuerunt, quæquè nunc sunt, non sine respectu ad grandem, apertum, candidum animum optimi Pontificis, qui natura sua gloriam Vrbis metiebatur.

Non Labyrinthæos patitur pia Roma recessus;
Has adamet fraudes cum Ioue Creta suo.

Satis est fontem laudis ostendisse; non moror riuulos: propero ad summam ex his confectam, quam dixi appositè in rem venire nostram:

I nunc, marmoream tacta te linquere Romam
Ex latere, ò Cæsar: victus es arte tua.
Vicit ALEXANDER; *cuius moderamine Stellæ,*
Aurea *Roma parùm est dicere*, Recta *nitet.*

Hoc enimuerò recti nomē, quod venustè per κατόρθωμα efferunt Græci, continetquè interprete M. Tullio numeros virtutis omnes, illud erat, quod ego fortunato huic ęuo studiosè anquirens aucupabar gemmeo pretiosius. Nisi fortè existimabit aliquis, nimiùm humi stratus, auro, & argento, cæterisque commutabilibus fortunæ membris bona animi certa atquè perpetua esse posthabenda. Bono mentis fruendum est, si beati esse perfectè volumus. Id autem, vt Stoicis videtur, in virtute consistit; nec multò secùs Herillijs, in scientia, & cognitione.

Sed cur Philosophorum Scholas attestor in re per se euidenti, cùm vix alijs personent vocibus plena theatra fabulatorum? Nonnè climax ille vel Epicurei poetæ, Vilius argentum est auro, virtutibus aurum, ponit satis alto loco virtutis dignitatem? Comici Græci, credo, minoris æstimant rerum plurimarum intelligentiam, septemquè illos Sapientes ioculari licentia cauillantur. Audite, quod minimè de mimis expectaretis, vnam & alteram in transcursu censoria grauitate dignam sententiam. Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον, inquiunt, & Σοφία γὰρ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον. Biantis subditur ratio; ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστι παιδεία βροτοῖς. Quonam tandem modo? quia

videlicèt ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν. Reddam Latinè, ſicui fortè Græca non perindè intelligantur. Sunt enim profectò quatuor Iambi aureoli, non memorię ſolũ cuiuſq; mandandi, verùm etiam intimis penitùs ſenſibus infigendi. Diſtracti licèt, faciunt coniunctim hanc ferè mentem: Cum ſapientia nullam debere poſſeſsionem comparari, vt quę cunctis opibus atquè diuitijs nimiùm quantùm antecellat: hominem eum, cui liberalis eruditio inſit, bonum acquiſiuiſſe permanens ac ſtabile ſic, vt nulli iniuriæ, nulli pateat periculo amittendi, poſſitque idem cum Philoſopho Prienæo gloriari iure, ſe omnia ſua portare ſecum.

Sed quàm rapidè præter mentem de eo, quod vnicè mihi conſtitueram, metæ ſpatio ſum deiectus! Cùm enim omnia nouę me Bibliothecæ ad laudem accommodare ſpoponderim, neſcio quomodò in eam ſum fructus è librorum ſtudio contemplationem illapſus. Verùm ab eo curſu reflectam in gyrum orationem meam, cùm & temporis breuitas, & argumenti vbertas faciat, longiori vt ſermoni ſit moderandum: & ad vos, veſtraquè beneficia, ideſt, tot ac tam inſignia nobis Academicis, huic Collegio, Romanæ Vrbi procurata per vos ornamenta, PATRES AMPLISSIMI, reuertar. Quanquàm quid accedere omninò, aut cogitari, vel dici quidem ampliùs poteſt ijs rebus præclarè geſtis, quas vos ipſi duplici elogio, confecto in honorem optimi Patroni, inciſoquè in candidiſsimo marmore cùm ſupra frontem ædis *Sapientiæ*, tum infra ſtatuam ipſiuſmet Pontificis, æternæ poſteritatis memoriæ commendaſtis? Valeat, vt debet, hoc loco plurimùm Hectoreum illud, opinor, apud Næuium, Laudari à laudato viro. Si vel vnius voce honeſti hominis prædicari vſque adeò cenſetur optabile, quid exiſtimandum erit de iucundiſſimo acroàmate veſtri omnium ordinis, inſtar Zodiaci duodecim aſtrorum? Vos ea, vt dixi, tam clara ingenij & grauitatis lumina, ex vóto, beneficij literarij cauſâ, non ſemel concepto, duo munificentiſsimo Principi glorioſa monumenta eodem anno collatis capitibus vnanimes erexiſtis. Alterum quidem, idemquè primum, ſupra tem-

templi maiorem portam, vnius auctoramentum Sapientię, fidemquè ob perpetua in se merita Pontifici obligatam legentibus pręfert in hæc verba;

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

Ob ædem Sapientiæ toto ambitu perfectam, & Bibliotheca Hortoquè medico instructam Sacri Consistorij Aduocati posuerunt, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo.

At verò alterum subscriptum bicubitali statuę, ad maiestatis augustæ specimen quamuis ouata forma eleganter expressæ, quæ summa in Bibliotheca præcipuo loco cernitur multò se extendit latiùs, nec domesticæ gloriæ terminis contentum, totius insuper famam vrbis, ac tantùm non orbis, adiungit. Hoc itaquè, perindè vt aliud, seruatis idoneis inter lineas spatijs, eiusmodi monstrat inscriptionem:

ALEXANDRO, & cætera.

Quòd post Vrbem à pestilentia vindicatam, & ad summam elegantiam nitoremquè multiplici opere perductam; post emendatos populi mores, & Cleri disciplinam, diuinumq; cultum sanctiùs ordinatum, aliaquè complura liberaliter posita & salubriter instituta; nè quid vel ad ciuium commoditatem, vel ad amplitudinem Vrbis deesset; liberalibus disciplinis, & bonis artibus publicè alendis excolendisquè, Gymnasii ædificationem absoluerit, Bibliothecam instituerit, instruxerit, dicarit, Ijdem eodem anno posuère.

Proh Superi, quàm multa quàm paucis! Quibus ex rebus singulis integri libri conficerentur, earum rerum primi

mi apices tantummodò perstringuntur? Hoc mihi vester facere stilus videtur, quod Timantis olim, pictoris nobilis, præstitit penicillus in tabulis; is plura relinquebat cogitanda, quàm pingebat. Tametsi ne vobis quidem iam istuc licet; feriatur commentatio, quoties habeatur certa cognitio. Scientia secundum Philosophos depellit opinionem, neque vllo pacto consistunt ambę in vna sede. Præuerterunt breuiloquentiam illustres multi copiosiquè scriptores. Vt contraxeritis laudes tantas, deductas sanè in angustum elogij lege, tamen liberè declarant acta miniatis paginis fasti Capitolini, extendunt tabularia populi Romani, resonat archeium Aelię molis, musæa, quæ vbique sunt, certatim decantant, historię vociferantur; proponunt annales, monumenta seruant vetustatis. Et erit locus vllus orbis terrarum tam remotus, vllus angulus regionum omnium tam barbarus, & desertus, qui hisce memoriæ & acclamationis præsidijs, tanquam maioribus tibijs exuscitatus, cuius nomen Parentis communis didicit pridem ac veneratur, non illius benefacta supremi Domini atque Pontificis pernoscat, & admiretur?

Quamobrèm vos profectò, PATRES AMPLISSIMI, pro prudentia vestra, & grati animi testificatione, cuius in debiti partem nos quoq; Doctores huius Academię haud exiguã venimus, sanctissimè prouidentissimeq; fecistis, quòd quemadmodùm Aegyptij Nilo flumini inscriptas metas, quippè terram suam exustam alioqui ac sterilem stata vliginis alluuione quotannis à Lunę montibus fœcundanti, statuère, dati & accepti beneficij indices: eodem modo prorsùs ALEXANDRO, rei literariæ Patrono Maximo, ad eamquè promouendam ex his Romæ montibus, non modò gentilitijs, effusissimo torrenti liberalitatis, duplicem inscriptionem istam, quasi geminam Herculeis virtutibus fixam columnam, officiosa obstricti religione vouistis. Non temerè mihi videor Nilum, fluuiorum regem, & totius orbis nobilissimum, traduxisse in similitudinem cum rege regum Pontifice Maximo: siquid. m Vespasia-

nus facilè passus est se cum illo conferri ; imò se contulit ipse, in donando. Cùm enim recèns auctus imperio lustraret Aegyptum fertur incolis obuiam visendi causa venientibus pro concione dixisse, vt à se, tanquam à Nilo, liberè haurirent. Nimirùm id innuere prudens voluit imperator, sicuti hic in sitientes Aegypti agros restagnantibus exundat aquarum riuis, ita illum, qui cæterorum obtinet principatum, totum in publicam effundere sese vtilitatem oportere. Vndè illa regum iactata vulgò summa præconia summæ largitatis, Mare magnificentię, Abyssus clementiæ : quæ Manueli Comneno tributa legimus. Verùm de his in pręsentia satis ; etiam fortasse, nè recedamus ab exemplo, nimis redundanter: nam cui tandem nomen ALEXANDRI cognitum est, Alexandri mens, & pectus ignota esse possunt? Ac propterea monueram ipso in limine orationis, attenderet Momus diligenter cœptæ machinatorem lautitiæ, pòst de propero luculentoquè fastigio neutiquàm dubitaturum. Ad summam, ordiri & conficere, apud Alexandrum pro vno haberi.

Laudaui arrepta ansa encomij vestri, PATRES AMPLISSIMI, virtutes Principis in genere, maximè gratificandi prolixam voluntatem, extra lineas oleasque aliquantulùm expatiatus; in gradum redeo curriculi primò instituti, vt de Bibliothecę dignitate diuino nobis munere concessę planè absoluam. Scio me operam posuisse in re, vt paucis intellecta, sic non omnibus grata æquè & accepta: valdequè vereor, nè ex his nonnulli, quos habeo nunc auditores in tanto concursu, non quos habere soleo, Cassianum illud, *Cui bono*, taciti secum mussitent.

Cui bono Bibliotheca? cognoscite quid sit primũ, deindè censetote. Maneat, non proùt iacet verbum, accipi cũ Grecis debere pro loco vel sede librorum, sed cum A. Gellio potiùs, non vulgari Grammatico, pro eorum multitudine; qui adeò, ambiguitatem vt fugeret, primus inter Latinos, quòd sciam, Librariam appellauit. Neque enim sunt omnia Græciæ deferenda: laborat interdum, quod in Tusculanis Cicero noster probè vidit, inopia verborum

acuta natio: nec profectò cùm accubationem epularem cupit inter amicos designare, per συμπόσιον tàm honestè, idest, compotationem exprimit, quàm qui Latinè loquuntur, per conuiuium, hoc est, vitæ coniunctionem. Quid, quòd idem M. Tullius non simpliciter Bibliothecam alicubi, sed cum congressu etiam vocis Librorum, amphiboliæ vitans Scyllam, non tamen Charybdin tautologiæ, miro dixit modo loquendi?

Quo posito, atquè intellecto, non esse locum, sed rem locatam, quam spectamus, videlicèt libros ipsos; hi qualesnam demùm, cuius naturæ, aut quanti pretij esse possint, opportunè videndum. Magnificis sanè, propè dicam nimis gloriosis nominibus, cùm in omne genus non conueniant, quippè malos reperias quamplurimos, multa libros cura, grandiquè sumptu sic congestos antiqui homines donauere. Pabulum orationis, & rationis Apollonius vocauit Rhodius; thesauros priorum sapientium Socrates; Hermes Trismegistus corruptionis remedium, siue haustum immortalitatis; Osymanduas Rex Aegypti, qui Bibliothecam Diodoro teste primus instruxit, medicam animę officinam. Ecquid horum, delectus in ijs teneatur modò, inficiabitur quisquam? Itaque nulli mirum videri magnoperè debet, si viri doctrinæ & vitæ fama conspicui vendebant aut ipsi opera sua maximo pretio, aut alij studijs illorum, atque disciplinis addicti, si minùs libros potuissent obtinere, instrumentum certè, quòd ad lucubrandum authoribus aliquid contulisset, quamuis humile & exiguum, quantilibet mercabantur. Fuit tempus, PATRES AMPLISSIMI (proh dolor, seu pudor potiùs effluxisse, nec antijs, nec capronis retrahendum) tempus fuit, inquam, cùm æstimarentur bonæ literæ, cùm doctis etiam plurimus honos redderetur. Vnam orationem suam venundedit talentis viginti benè magnis ille flumen eloquentiæ Isocrates. Oppianus poëta, Seueri filio Imperatoris, Antonino poëma De piscibus nuncupans, ab eo totidem aureis donatus est nummis, quot omninò versus numerabantur. Quadam epistola refert Secundus Plinius potuisse-

se, cùm procuraret in Hispania, vendere suos commentarios Largio Licinio millibus similiter nummûm quadringentis. Quis nunc Regum (exclamat, nec iniuria, illustris quidam Galliæ scriptor è superiore seculo) bibliothecam emere confertissimam velit decem aureorum millibus; quanti à Plinio ciuis vnus priuatus re gesta quædam extemporanea licitari non dubitauit?

Histriones in delicijs, nostris Troiugenis, Arabarchis, & Tetrarchis, mimi, pueri symphoniaci, vt leuissimè dicam, moriones, & id genus cateruę: cedite loco vos, colligite vasa vel ad miraculum literati. Polo, Roscio, Aesopo, Laberio maria & montes; philosophię sectatoribus vix pertusum dolium, aut leuidense, idquè attritum palliolum. Ita verum est, quòd flens, puto, cecinit Euripides, paupertatem omni tempore sortitam esse Sapientiam. Quę nihilominùs contingat mihi dotata vel sic, non ego in subsidium frequentabo potentiorum limina; mea tum virtute satis inuolutus, & contentus vnicè. Euomui hęc pauca (prefari liceat verbo honorem) vti res tulit; equidem stomachosiùs, tanta grauatus plerorumquè peruersitate: liquidiùs nunc ad finem vsquè fluet oratio.

Post libros, quibus saltem suus vsus inest atque fructus, tanti coëmptos, illud demiror valdè, quid his in mentem venerit, qui supellectilem barbati alicuius magistri, morte deleti, non Deliacam atquè Corinthiam vt lauti hominis & elegantis, sed abiectissimam Samiam mendiculi & pannosi, cunctis acquirendi vijs, prece, pretio, gratia, simulatione, cupidissimè compararent. Nihil hic loquor de perforato Diogenis pallio, quod oculatum isti putabant; non commemoro situlam Cleanthis, qua hauriebat aquam, vndè se hausturos ipsius confidebant rerum humanarum tolerantiam; solùm adducam lucernulam Epicteti, effrænatę cuiusdam & inexplebilis veri visendi cupiditatis exēplum, quę propter & viri auctoritatem, & vitæ sanctissimè traductę admirationem, licèt fictilis, needùm olei nocturni abstersa fuligine, tribus tamen drachmarum millibus venisse dicitur.

Cui

Cui bono Bibliotheca? quis hoc Romæ, in libera benequè morata ciuitate, sede religionis, domo imperij virtutis & dignitatis, luce orbis terrarum, matre artium omnium; in ea deniquè vrbe, vbi humanitas, doctrina, verus Dei cultus, iura, leges ex toto perfectę in cęteras gentes distribuuntur; quis hoc homo vna rationis scintilla præditus, non prorsùs bellua fera, & immanis, quærere audebit? Veruntamen interrogationi vtcunquè futili, & insolenti nos regum facta prudentissimorum, ac maiorum instituta grauissimorum hominum, quò simulati Catones isti conticescant aliquandò, pro responso reponemus. Aut sanè, si per errorem ac miserabilem ignorantiam tales voces, non ex malitia processerint, optimum factu censeo, quod benè & salubriter præcepere, qui primis literis erudiunt iuuentutem, vt ipsis vnus duntaxat liber, tanquam pueris, relinquatur. Nam vt sunt humidiore cerebro, atquè adeò hebetes, & obtusi, sic debiliore laborant stomacho impares varijs cibis, quòd nequè concoquere, nequè digerere valeant multa. Neminem autem inuenio inter doctos, qui libros auidè non conquisiuerit, & cùm multos possideret, semper plures non optarit. Ex hoc numero meherclè factum est, opinor, contritum tot seculorum vetustate prouerbium, vt homo homini Deus prædicetur. Antiquitas enim aliud nihil existimabat esse Deum, quàm prodesse mortalibus. Id qui negligeret, dicto contrario Homini lupus ferebatur. Vndè frugum, vini, legum, medicinæ inuentores, & quicunque ad vitæ commoditatem preclarum aliquid attulisset, hi omnes pro Dijs tutelarijs atquè prestitibus sine vlla exceptione tenebātur. Nec verò multis bestijs, nec corporibus quibusdam inanimis negatum fuit, quò minus propter beneficium diuinus cultus tribueretur. Quorum profectò heróum soboli atque propagationi, qui, totidem veluti Homerici Vlysses, mores & vrbes multorum si non peregrinantes, quod fecit ille, at lectitantes peruidère, summo consilio principes viri (vt suprà dixi) cautum esse voluerunt, copiosas bibliothecas, sua quisq; in ditione, vnā vel plures aperiēdo.

Audiſtis paulò antè ex Diodoro Siculo, regia huiuſmodi munificentia qui præluxerit, omnium primum extitiſſe Oſymanduam. Cui Gellius tamèn ſuis Athenis, Noctiũ ſcriptor Atticarum, tantum honorem aſtruens repugnare videtur, dum Piſiſtratum tyrannum libros ibi ingenuornm ſtudiorum publicè ad legendum præbendos ait poſuiſſe primum. Niſi verò primum in ea vrbe, non ômnium vbiquè gentium mens erat intelligere. Sed iſtud non diſputo, quis cui præiuerit; ſufficit ſcire, bonum authorem, quicunque is fuerit, eximios complures inueniſſe ſectatores. Quid? parumnè eſt potentiſſimos Reges, atquè eruditiſſimos homines, exemplo attractos ſuo ad æmulationem laudis excitaſſe? Ptolomæum Philadelphum pluſquàm ſeptingenta voluminum millia, inter quę Hebraicum quoquè diuinæ legis inſtrumentum, ſummis *impenſis* congregaſſe conſtat in Serapæo. Supra ducenta millia Eumenes Pergamenus coaceruauit. Hieroſolymitanam, Bizantinã, Cæſarienſem percelebres fuiſſe bibliothecas largequè collocupletatas accepimus. His verò miſſis, veniamus ad noſtra potiùs tum vetera tum recentia. Nemo eſt *hiſtoriæ tam ignarus*, quin audierit de Luculli, ſummi *Imperatoris*, Apollinc. Id nominis dederat ipſe triclinio domi ſuæ cuidam extremi apparatus epulandi. Fecit idem tamen dubium vel nomen, vel numen Apollinis, alio in conclaui longè & ampliore, & ſplendidiore, libros multos pereleganter ſcriptos exhibendo, vtri ſe parti mentis an corporis, ſcholæ an culinæ, Deus ferret ille propenſiorem. Hoc ipſum præſtitit & Sylla, quod ad literas attinet, eo vno iudicio Felix mea quidem ſententia magis acclamandus, quàm aut Dictatura, aut victorijs omnibus, & triumphis. At multò compleuit partes iſtas Aſinius Pollio Auguſti tempore venuſtiùs, cui numerum voluminum ingentem non modò curæ fuit vndiquè colligere, verùm ille novitio prætereà inuento luculentos *ſcriptores* ex auro argentouè aut certè ex ære dedicauit, quorum immortales animæ in ijſdem locis loquebantur.

Et quoniam Auguſti Cæſaris eſt facta mentio, è re videtur

tur Palatinam eius,quæ duplex erat Græca & Latina,commemorare Bibliothecam. Relinquo vniuſcuiuſque cogitationi apud ſe vt reputet, (quòd mihi longum foret exequi ſingula) num ea iam dictis vlla parte debuerit inferior eſſe, cuius auctor amore ac ſcientia doctrinarum, amplitudine, munificentia, poteſtate cunctos homines ſuperaret. Nec libet ob anguſtias temporis iſtiuſmodi opibus aliorum veterum immorari, Traiani, Veſpaſiani, ne Capitolij quidem: vnico P.Victoris teſtimonio expedire me volo, dicamquè ſemel, Bibliothecas in vrbe publicas vndetriginta extitiſſe. Venio currens ad noſtra tempora: quę tametſi immenſum campum aperiunt laudibus huius generis, ea tamen ſimiliter eadem de cauſa, quàm poſſum breuiſſimè perſtringam. Præfabor hoc tantùm, quò recens eluceat opulentia priſcæ comparata, nec regem regi, nec priuato priuatum, nec locum loco cedere hilum in commendatione ſtudiorum, etiam anteire plerumquè. Ducat ergò ſanè aciem iure ſuo extra ordinem (nam quid viſum fuit vnquam ſimile aut ſecundum?) Vaticana Bibliotheca: occupet ſine inuidia proximos honores noſtra in Britannia Oxonienſis: tum ſuccedet facilis ratio deinceps reliquarum, Eſcurialis, Pariſinæ, & quæcunque celebrantur Regum maximorum: Vrbinatis, Germanicæ Palatinę, D.Marci, Mediceæ, Ambroſianæ, fortunatorum Ducum, & Principum: iterum Romæ, Angelicæ; foris etiam Pithœæ, Bodleianæ, Peireſciæ, Voſſiæ, Auendannæ, vel locorum, vel ciuium priuatorum.

Cui bono Bibliotheca? Licinij vocem alicuius audire videor, ſeruilis Daci, quanquam Imperij poſſeſſoris; literis (vt fertur) vſque adeò infeſti, vti virus ac peſtem publicā eas appellaret. Timonem ego μισάνθρωπον millies ſuſtinerem in vita potiùs, quàm tale monſtrum μισόλογον. ſiquidem ille hominum genus oderat vniuerſum, eò quòd ex forma homo eſſe cognoſceretur; iſte autem eos homines tantùm auerſabatur, qui ratione & oratione pręſtarent cæteris, quoſquè harum virtutum indigentia quaſi beſtias ſub humana figura non vidiſſet. Exempla veræ virtutis

cum honore interioris & reconditę literaturæ iam posuimus clara & illustria ex summis viris: in quibus siquis tamen, cùm os perfricuit, adhuc erit tam absurdus, ita natus iratis Musis, vt nolit acquiescere, persistatquè stultissimè interrogando; huic insanabili capiti, quod tres Anticyræ nunquam restituerint, pro deportatione voueo & opto, se Licinio vt adiungat, pœnarum daturum satis, eius si gustet felicitatem.

Num leue malum sum forsàn imprecatus, inscitiam? vno verbo miserias omnes comprehendi, stuporem mentis, stultitiam, insaniam, hoc etiam calamitosiores, ex medicinæ oraculo, si transierint in habitum, vt minimè sentiantur. Nihilo tamen minùs, quia, vt cecinit non elegantiùs, quàm veriùs Venusinus olor; Segniùs irritant animos demissa per aurem, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ Ipse sibi tradit spectator; antequàm extremo iudicio de tanta peruicacia decernatur, quàmque lex ita depràuatum quempiam ad agnatos, & gentiles deduci iubeat, operæpretium erit pro vltimo remedio ad resipiscendum, loco testimonij & exempli, quæ sunt ferè præteritorum, rei spectaculum præsentis viuo videntiquè, quod aiunt, ob oculos proponere. Post hoc, manente tamen prima sententia, causę nihil dico, quin valeant duodecim tabulæ; proindè vt in furioso, per me licet, pòtestas esto. Sed me spes tenet, imò fiducia bonæ frugis, ad conspectum vnius omnium sapientissimi auctoris & optimi, huic ornandæ reginæ rerum Sapientiæ prodigam manum admouentis.

Te dico, ALEXANDER, & imperio, & cognitione, & sacerdotio Trismegiste; qui cùm summa semper cogitaris, & feceris, tum verò in hac parte imbuendi hominũ mentes exquisitissimis scientijs, ac disciplinis per Romanam istam Academiam, cuncto ad id subsidio largè à te auctam, munificequè cumprimis illustratam, præcipuum quoddam studium, diuinamquè voluntatem ostendisse videaris. Tu nimirùm præclarè intellexisti, quemadmodum vsum librorum, sic permultorum ad multiplicem eruditionem necessita-

cessitatem. Omninò, vt in cœlo non vnum duntaxàt sidus supremus mundi opifex molitorquè Deus collocauit, sed infinita propè collucentium stellarum multitudine nobilissimum illud corpus distinxit, vt ex varijs varia signa mortales edifcerent; simillima ratione in hac ciuili vita diuersorum veluti ingeniorum faces constituendas fuisse, quibus ipsa collustraretur. Nec enim ex vno flosculo serta conficere coronarios artifices, nec ab vno exemplari pictores eximios pendere: sed & eos in diuersis areolis diuersa florum genera studiosissimè colligere, quò suum opus tum coloris, tum odoris grata varietate distinguant; & hos, vt excellentem alicuius formæ pulchritudinem exprimant, transfundantquè in vnam imaginem (quod in Helenę simulachro Zeuxin fecisse, & Apellem in Coa Venere traditum est) speciosissimas complures virgines vndiquè conquisitas ad imitandum sibi dari postulare. Tu idem pristinum morem bibliothecam dedicandi reduxisti, Ptolomæo & Augusto paribus tuis, si fas est ita loqui, familiarem; cùm illam almæ *Sophiæ* templo & Lycèo censueris annectendam. Laudauimus suprà Palatinam Augusti, quam statuit ipse ex marmore Lunensi in templo Apollinis, atquè area & porticu amplissima circumsepsit. Itemquè de Serapæo, seu fano Serapidis, quod erat Alexandriæ clarissimum, commeminimus, in quo Ptolomæi reges posuerant suam. In huius honorem posterioris id insuper habeo prædicare, qua in re accessit Rex proximè ad prouidentiã tuam, quòd literatorum hominum Collegium habuerit coniunctum, de publico altorum tanquam in Prytaneo, vt bibliothecæ ad omnia prę stò essent, atquè deseruirent; pręsertim verò tot vt voluminum subsidio doctissimorum nixi & adiuti, quæ inibi asseruabantur, ea ipsi monumenta in dies lucubrationibus augerent suis. Nunquid ista basilicę huius tuæ, seu iam nostræ potiùs, æterno tuo beneficio ac planè cœlesti munere, vera & expressa est imago? est profectò illa ipsa. Quarè accipe ex hoc die in omne venturum tempus pro perpetuis istis atquè immortalibus in nos beneficijs, & meritis, BEATISSIME PATER,

vltra

vltra cognomentum *Maximi*, quod in tanto Pontificatus apice semper fuit religionis,& dignitatis, & tibi quidem commune cum decessoribus tuis, sanctissimis viris, agnomen etiam *Euergetæ*, titulum,in qua vnicè triumphas,magnanimitatis,summè debitum ac propriè tuum,veluti propitij sideris & salutaris. Referre gratiam, non opis est nostræ; nec, vt maximè velimus, res sub Sole vlla suppetit, quæ dignè id queat; cæterùm hoc ego polliceor omnium nomine,quod æqui boni faciunt prestantissimi Heröes, ad prædicandam & habendam verba nemini vnquã defutura.

Quanquam re quoquè vos, PRTRES AMPLISSIMI, (vt vndè orsus erat, eò reuocetur, ibique habeat exitum institutus sermo) connitimini, quantùm sinunt facultates vestre, gratos vos ostendere. Quid agendo, aut quomodò? coniecto cuiusque symbolo philosophicum in epulum ad Principis imitationem. Etenim ille armarium Palladitale ac tantum non satis habens ad cœlum extruxisse, nisi prætereà multa & lauta supellectile muniuisset (nam elenantes & reconditos codices quot suppeditauerit hactenùs notum est,quot immissurus porrò sit, nunquàm scietur, quia nullus erit finis) nec eo contentus, *nisi pectoris sui* æmulum, vt sanguinis participem, *Flauium Chisium* excitasset Fratris filium, admirande iuuenem indolis, inter Purpuratos iampridem allectum, ad supparem liberalitatem, raro exemplo Mercuriales viros prouocat omnes. Non quòd necesse sit, aut ipse omninò id expectet, totus aptus ex sese; non plus, quàm aquas tralatitias Oceanus, aut Sol suppetias stellarum auxiliarium; sed quia ita conuenit, quia exprimit officiosus animus, quia partes nostre sollicitantur,vt tali significatione aliqua pendere tributum obstricte ac deuote mentis videamur velle. Quod vos vt cumulatissimè,sponte iam vestra, minimè quesiti prestitistis,sic de constãti voluntate nequeo dubitare in futurum, quin plura & maiora cogitetis. Igitur cohortatione, nè inanis & sine causa suscepta videatur, supersedendum existimo; nisi fortè prudentis erit, & non insani, currentem equum,vt dicitur,calcaribus incitare.

Nec

Nec video vtiquè maiorem causam eruditissimos homines, grauissimosquè scriptores, & doctores, *Collegas meos* in hoc epilogo admonendi, vt istam Bibliothecam aliquo ingenij thesauro viuacis reddant Amalthęum; cùm infinitis operibus abundent singuli domesticis, & alienis. Opera voco domestica eorum propria, quibus malim ipsos benemereri de augusto hoc loco, quàm externi vllius muneris vel sumptuosissima largitate. Id adeò nuper innui tum, cùm Sanctissimus ALEXANDER Pontifex, & Patronus noster amantissimus, à Vaticano rediens in secessum Quirinalem hùc de via, operis sui visendi gratia, venturus dicebatur. Tunc equidem, quod tam improuiso nuntio fieri subitò potuit, Oden cecini ad Collegas humanissimo Principi offerendam huius argumenti; Vt proprijs libris ornando Bibliothecam optimi Pontificis occuparent munificentiam. Pro clausula & nimię patientiæ vestræ, & non satis ęquę orationis meæ, si commodum superest, hauriatur, quæso, benignis auribus.

Musarum audijt hactenùs
Iunctis ductor amans ædibus Hercules.
Hoc commercia mutua,
Alternæquè operæ grata necessitas
Suadebat populo decus.
Defensoris eget Pegasidum quies.
Nimirùm: & foret inclyta
Quid virtus, cytharę si renuat fides
Testari Superis parem?
Sed quò me rapuit tramite deuio
Alcides, mera fabula?
Standum est historijs; quas Capitolij
Hinc fasti referent, tuo
Accessu celebres ad *Sapientiam*,
Clarature scientias
Doctorum, Alme PATER. Te columen domus
Spectamus, veluti tener
Solem surculus, aut nauita Castorem!

Quan-


Quanquàm nil opis indigus
Es noſtræ; tibi tu fama palæſtrica,
Et laurus ſimul, & tuba:
Nec greſſum poteris figere, Palladi
Quin plaudas propriç: tamen
Acclamare iuuat nos quoquè vinculis
Obſtrictos opulentiæ.
Siccos forsàn erit currere riuulos
In vaſtum Oceani ſinum.
Sed clamare iuuat. Mercurialium
O cuſtos bonç partium;
(Fortis cui Macedo nomina præſtitit,
Auxiſſe inuidus alterum
In maius:) meritis quas dabimus vices,
Vel quæ præmia ſoluimus!
Tandem inuenta via eſt, grata Sodalibus,
Mundi gratior Arbitro.
Vidiſtis, pluteis vt modò inanibus
COLLEGAE, properus pedem
Fulgenti ex adyto traxit Apollinis;
Quamuis millia deſtinet
Ipſe electa loco corpora codicum?
Quid ſtamus reſides? agè,
Prçuertamus opus: quiſque volumine
Inſcripto repleat cauum;
Illiuſquè crepent ſcrinia laudibus.

DIXI.



Nè

NE pars vlla huius chartæ vacua, ideſt, immunis abiret, viſum eſt annectere ſequens Epigramma nuper à me conceptum, quod vtramque compleceret (vt dicitur) paginam, propter rei ſubiectæ mirabilitatem. Hoc opus verè ſanctum, ac regium poſt alia publica multa, S.D.N. meditatus eſt deniquè; nec in eo finem facit paterna eius cura, ſemper noua procudens ad ornatum Vrbis. Ecquidnam verò poterat huc accedere accommodatius? cùm præſertim idem ipſum trahat argumentum præmiſſæ Orationis; perpetua nempè Optimi Maximiquè Pontificis beneficia in omne humanum genus.



De magnifico atque admirabili Amphitheatro, quod ALEXANDER PONT. MAX. Baſilicæ D. Petri ad Sacros Ritus perficiendos præſtrui iuſſit.

EPIGRAMMA.

HIc vbi clara micant ſummi faſtigia Petri,
Et Vaticanus ſidera terret apex;
Inſidioſa putris ſtagnabant iugera cretæ,
Ante meri teſtas, implicitura pedes.
Hic vbi de medio ſurgit meta ardua circo,
Maxima Niliadum; Scipio tectus erat.
Hic vbi conſpicimus vitreos tolli agmine fontes,
Chriſticolûm opplerat labra cruore Nero.
Erigitur moles vbi nobilis Amphitheatri,
Pompeiana Paphi fulſerat vmbra Deam.

Si

Sic cuncta in melius conuersa nitescere sumptu
Pontificum, Suasit religionis honor.
At tu porticibus circum, Pater Optime, *ductis,*
Monstrasti totum cum pietate decus.
Hinc neque iam ciuis culpare, nec aduena tempus
Inuisum poterit, Sol quod vterque refert.
Mille colit tua Roma Deum vallata columnis,
Et vouet Auctori tot Tibi Pyramidas.

FINIS.



